

tionem mundi, cum rebus habet, esse quidem reales in creaturis, sed in Deo dumtaxat *logicas*, seu *rationis*¹; quia Deus, cum res creat, nihil entis ab ipsis accipit, sed rebus largitur quidquid entis in ipsis est². Hinc fit, ut ipsae non in Deo, sed in rebus ab Eo creatis aliquem novum modum *essendi*, seu mutationem denotant, ob quam de Deo dici incipiunt. « Quod ergo, inquit s. Augustinus, temporaliter dici incipit Deus, quod antea non dicebatur, manifestum est relative dici; non tamen secundum accidens Dei, quod Ei aliquid acciderit, sed plane secundum accidens eius, ad quod dici aliquid Deus incipit relative³ ».

106. Immutabilitatem consequitur *aeternitas*. Iam Aeternitatem Dei Bōetius ita definit: « Interminabilis vitae tota simul, et perfecta possessio⁴ ». Dicitur *possessio* ad designandam eius stabilitatem; illud enim possidere dicimur, quod firmiter, et quiete habemus, et a quo nullatenus dimoveri possumus. Subditur, *tota simul*, ut aeternitas a quavis duratione creata distinguatur, quoniam nulla tota simul est, sed successionem expostulat. Additur *perfecta*, ad excludendum *nunc temporis*, quod licet sit totum simul, et partibus careat, tamen non est absolute aliquid perfectum, nec in eo res aliqua perfecte possidetur. Dicitur vero aeternitas possessio vitae, potius quam *esse*, quia « vivere, ut ad hanc rem advertit s. Thomas, se extendit quodammodo ad operationem, non autem *esse*; protensio autem durationis videtur attendi secundum operationem magis, quam secundum *esse*⁵ ». Deni-

¹) « Dependet creatura a Creatore, et non e converso; unde oportet, quod relatio, qua creatura ad Creatorem refertur, sit realis; sed in Deo est relatio secundum rationem tantum » (*Qq. disp., De Pot., q. III, a. 3 c.*); scilicet, « in quantum intellectus noster accipit Deum, ut terminum relationum creaturarum ad ipsum »; *Ibid., q. VII, a. 11 c.*

²) Cf p. 317.

³) *De Trin., lib. V, c. 16, n. 17.* Cf s. Thom., *Qq. disp., De Pot., q. VIII, a. 8 ad 6.* Cave tamen ne inde concludas intellectum aliquid vanum, commentitiumque sibi fingere, cum relationes Domini, Creatoris, aliasque id genus in Deo ponit. Nam quamvis illae relationes non significant aliquid reale in Deo, per quod Ipse ad res a se creatas refertur, tamen indubium est intellectum tum aliqua, uti s. Thomas (*In lib. I Sent., Dist. XXX, q. I, a. 3 sol., et Contr. Gent., lib. II, c. 13*) advertit, in Deo intelligere, quorum gratia illas relationes in Deo ponit; tum esse, uti s. Bonaventura (*In lib. I Sent., Dist. XXX, a. 1, q. 3 ad arg.*) monuit, aliquod reale in rebus creatis, cui relationes in Deo respondent.

⁴) *De Consol., lib. V, pros. 6.* — ⁵) *I, q. X, a. 1 ad 2.*

que dicitur aeternitatem esse possessionem *vitae interminabilis*, ut significetur illam omni prorsus termino carere, neque habere posse initium, aut finem. Itaque aeternitas Divina idem significat, ac Deum sine initio, sine fine, sine ulla immutatione continuo esse quidquid Ipse est; sive, ut loquitur s. Augustinus, « aeternitas ipsa Dei substantia est, quae nihil habet mutabile; ibi nihil est praeteritum, quasi iam non sit; nihil est futurum, quasi nondum sit. Non est ibi, nisi *est*. Non est ibi, *fuit*, et *erit*; quia et quod fuit, iam non est; et quod erit, nondum est: sed quidquid ibi est, non nisi *est*¹ ».

107. Prop. *Deus est aeternus*.

Probatur. Dei existentia, ac vita nec initium, nec finem, nec successionem ullam in se admittere potest. Atqui id aeternitatis notionem praebet. Ergo. Et sane in primis, Deus, cum ita natura sua necessario existat, ut non existere non possit, semper exstitisse debet; alioquin, si aliquando incepisset esse, cum prius non existeret, tunc non essentia sua, et necessario, sed contingenter solum existeret, atque illud *esse*, quod habet, ab alio recepisset.

108. Ita quoque perspicue apparet quod Deus ipse semper existere debet; alioquin si aliquando desinere posset, non essentia sua, ac necessario, sed contingenter existeret, ac illud *esse*, quod habet, ab alio ipsi auferri posset, Eiusque duratio ab alio penderet; id, quod ab Entis necessarii natura manifestissime abhorret.

109. Denique Dei aeternitas quamcumque successionem respuit. Nam 1° ubi nulla est mutatio, ibi nulla est successio; in Deo autem nulla mutatio est. 2° Id ipsum ex omnimoda perfectione Dei evidentissime consequitur. Etenim ens, cuius duratio, ac vita successive evolvitur, per vitales actus, quos successive promit, successive ad se perficiendum tendit, siquidem vivens per vitales actus semetipsum perficit. Atqui Deus est ens absolute perfectum. Ergo ab Eius duratione, ac vita successio quaevis amovenda est. Quocirca Dei aeternitas differentias omnes excludit, quae in tempore distinguuntur, atque ideo neque *prius*, neque *posterius* in ea admitti possunt, sed singula tum praeterita, tum futura veluti praesentia complectitur².

¹) *Enarr. in Ps. CI, Serm. II, n. 10.*

²) Id melius explicari non potest, quam verbis s. Petri Damiani (*Opusc.*

ART. III. De immensitate Dei

110. Illud Dei attributum, quo Ipse, licet sit supra omnia per excellentiam suae naturae¹, tamen virtutem habet, ut sit in omnibus possibilibus rebus, et locis non solum per potentiam, in quantum omnia Eius potestati subduntur, et per praesentiam, in quantum omnia nuda sunt, et aperta oculis Eius, sed etiam per essentiam, quia substantia sua adest omnibus, ut causa essendi², appellatur immensitas.

111. Prop. Deus est immensus.

Probatur. Ex variis argumentis illud, quod s. Thomas ex immediata Dei operatione haurit³, eligimus. Equidem Deus in omnibus operatur; Ipse enim est, qui omnibus dat esse, atque ita ut nihil durare possit, nisi Deum ipsum conservet, eademque vi, qua produxerat, ipsum perenniter tueatur. Ergo Deus est intime, ac substantialiter praesens omnibus rebus. Et sane, omne agens oportet ut coniungatur cum eo, in quod agit, vel per se, vel per suam virtutem; virtus autem Dei est ipsa substantia Dei, cum in Illo non sint accidentia. Ergo ipsa substantia Dei intime adest omnibus rebus⁴. Neque dicas Deum posse operari in re-

36, c. 8), ubi sic loquitur: « Omnipotenti itaque Deo non est heri, vel cras, sed hodie sempiternum, cui nihil desinit, nihil accedit, cui nihil est varium, nihil a se diversum. Illud hodie aeternitas est incommutabilis, indefectiva, inaccessibilis, cui videlicet nihil addi, nihil valet imminui. Et omnia, quae apud nos elabendo discurrunt, aut per temporum vicissitudines se variant, apud illum hodie stant, et immobiliter perseverant. In illo scilicet hodie dies ille adhuc immobilis est, in quo mundus iste sumit originem: in illo etiam ille nihilominus est, quo iudicandus est per aeterni iudicii aequitatem ». Brevius s. Thomas: « Nunc aeternitatis invariantum adest omnibus partibus temporis »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVII, q. 2, a. 1 ad 4.

¹ I, q. VIII, a. 1 ad 1.

² *Ibid.*, a. 3 c. et ad 1. — ³ *Ibid.*, a. 1 c.

⁴ « Ex parte Dei non invenitur diversitas in re; sed ratione tantum, secundum quod distinguitur in Ipso Essentia, Virtus, et Operatio. Essentia autem Eius, cum sit absoluta ab omni creatura, non est in creatura nisi in quantum applicatur sibi per operationem; et secundum hoc, quod operatur in re, dicitur esse in re per praesentiam, secundum quod operatur operans operato aliquo modo praesens esse: et quia operatio non deserit Virtutem Divinam, a qua exit, ideo dicitur esse in re per potentiam: et quia Virtus est ipsa Essentia, ideo consequitur ut in re etiam per essentiam sit »; *In lib. I Sent.*, Dist. XXXVII, q. 1, a. 2 sol.

bus per virtutem a se diffusam, adeoque sibi extrinsecam, atque a se distinctam; virtus enim, qua res creantur, atque conservantur, infinita sit oportet, atque ideo ipse Deus¹.

112. Quod si Deus est in omnibus rebus, ex eo quod dat eis esse, virtutem et operationem, ob eandem rationem est in omni loco, quia dat ei esse, et virtutem localivam². « Deo in loco esse convenit, et ubique, et non quidem, ut mensuratum loco, sed ut dans loco naturam locandi, et continendi; sicut dicitur esse in homine, in quantum dat homini naturam humanitatis, et in qualibet re esse dicitur, in quantum dat rebus proprium esse et naturam³ ».

113. Ex hac argumentatione, qua Deum esse ubique, sive in omnibus rebus, et locis iam existentibus ostendimus, Eius immensitas quoque colligitur. Etenim Deus ideo rebus intime adest, quia illas creat: quapropter Eius vis in rebus existendi non minor sit oportet, quam vis res creandi. Atqui, praeter res productas, Deus virtute pollet creandi quidquid est possibile. Ergo Deus vim habet existendi non solum in rebus iam creatis, sed in quacumque re possibili; ac proinde est immensus. Accedit quod Deus, cum infinitus sit, in sua omnipraesentia, aequae ac in suis perfectionibus, nullum determinationis gradum admittit.

¹ Idipsum sanctus Doctor probat ex eo, quod « cum Deus sit prima causa omnium, sua virtus est immediatissima omnibus »; *Ibid.*, a. 1 ad 4. Unde s. Bonaventura (*In lib. I Sent.*, Dist. XXXVII, p. 1, a. 1, q. 1 ad arg.) advertit quod, etsi agens creatum, ubi non est, operetur, tamen « non est simile in Deo. Nam si attendatur hoc in artifice creato, hoc venit ex defectu perfectionis; quia enim agens creatum limitatum est, et differt a sua virtute, potest operari per virtutem, ubi non est ».

² I, q. cit. a. 2 c.

³ *In lib. I Sent.* Dist. XXXVII, q. 2, a. 1 sol. « Idem ait s. Anselmus, est Esse Dei, et Potestas Eius. Sicut itaque Potestas Dei est semper, et ubique, ita quidquid est Deus, ubique, et semper est »; *De Fide Trin.*, c. 4. Dices: Prius intelligitur aliquid esse in loco, quam sit ibi operari; nam sicut operari sequitur esse, ita operari in loco sequitur esse in loco. Ergo praesentia Dei in omnibus locis ex Eius operatione haud recte inferitur. At contra, sicut in corporalibus, licet substantia sit prior quantitate, tamen substantia corporea non est prius in loco, quam sit in eo quantitas, quia non est in loco, nisi per quantitatem; ita similiter licet in entibus spiritualibus prius concipiatur esse absolute, quam operatio, non tamen esse in loco, quia in eo non sunt, nisi per operationem. Cf. Conzalez, *Comment. et Disputat.*, Disp. XVI, p. 107, et 108, Neapoli 1637.

114. Quo autem hoc Dei attributum recte intelligatur, haec prae oculis habenda sunt :

1° *Essentia Divina*, ut iam s. Thomas monuit, *est intra rem, quasi operans, et agens esse uniuscuiusque rei*, non vero *quasi pars veniens in constitutionem esse* ¹.

2° *Res creatae*, ut alibi diximus, duobus tantum modis dici possunt esse alicubi, vel *circumscriptive*, vel *definitive*. Neutro ex his duobus modis dici potest Deus rebus creatis esse praesens. Non *circumscriptive*, cum non constet partibus, quae dividi, aut extendi possint ². Nec *definitive*, cum Eius praesentia nullo definiatur loco ³. « Sic est Deus, ad rem inquit s. Augustinus, per cuncta diffusus... non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusus, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, et in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus; sed in solo caelo totus, et in sola terra totus, et in caelo, et in terra totus, et in nullo contentus loco, sed in seipso ubique totus ⁴ ». Itaque Deus longe alio perfectiori modo, licet inexplicabili, ubique esse dicendus est; quem ut aliqua ratione significemus, s. Gregorii, atque s. Ioannis Damasceni verba adhibemus. « In-circumscriptus, ille inquit, Dei Spiritus omnia intra semetipsum habet; quae tamen et implendo circumdat, et circumdando implet: et sustinendo transcendit, et transcendendo sustinet ⁵ ». Iste autem vocat Divinitatem « omnia implentem, a nulla re comprehensam, imo vero ipsam universa complectentem, et continentem, ac praehabentem, substantias omnes sine pollu-

¹ *In lib. I Sent., Dist. cit. q. 1, a. 1 ad 1.* Idem s. Augustinus innuit, ubi ait: « Incommutabili, excellentique potentia (est) et interior omni re, quia in Ipso sunt omnia, et exterior omni re, quia Ipse est super omnia; » *De Gen. ad lit., lib. VIII, c. 26, n. 48.*

² « Deus, ait s. Thomas, omnem locum replet, non sicut corpus; corpus enim dicitur replere locum, in quantum non compatitur secum aliud corpus: sed per hoc, quod Deus est in aliquo loco, non excluditur, quin alia sint ibi; imo per hoc replet omnia loca, quod dat esse omnibus locatis, quae replent omnia loca; » *I, q. VIII, a. 2 c.*

³ « Quia a nullo dependet, ait s. Bonaventura, nec dependere potest, a nullo diffinitur, nec potest diffiniri; » *In lib. I Sent., Dist. XXXVII, p. II, a. 1, q. 2 ad arg.* Unde Deus « dicendus est totus in quolibet loco, non tamen totaliter; » *Ibid., q. 1 ad arg.*

⁴ *Epist. ad Dardanum CLXXXVII, c. IV, n. 14.*

⁵ *Moral., lib. XVI, c. 5.*

tionem penetrantem, ultra res omnes, et essentias, longe provectiorem ¹ ».

3° Quamvis universa creaturarum rerum compage certis quibusdam finibus circumscripta sit, ideoque Deus finitae solum rerum compage actu praesens sit; Divina tamen immensitas, quemadmodum paulo ante innuimus, aliorum Attributorum instar, infinita est; nam omnibus rebus possibilibus praesentiam suam exhibendi virtutem habet ². Exinde quoque intelligitur Deum ab aeterno immensum esse, quamvis effectum nullum extra se produxisset, nullique proinde rei extrinsecae praesens esset; quia nimirum ab aeterno res producere, ipsisque adesse poterat. Neque ex eo, quod Deus *incipit, vel desinit esse in re*, aliquam mutationem Deo advenire argui potest; nam hoc, aiente Seraphyco Doctore, « solum est secundum rei mutationem, non secundum mutationem Eius, ut puta si, aere illuminato, intelligatur creari crystallus, radius incipit esse in eo, et, crystallo amoto, desinit esse, nulla facta mutatione in radio ³ ».

4° Deus extra mundum eodem modo est, quo fuit, antequam ipsum mundum crearet. « Antequam, ait s. Augustinus, Deus faceret coelum et terram, ubi habitabat? In se, et apud se habitabat ⁴ ». Et s. Bernardus: « Ubi erat Deus, antequam mundus fieret? Ubi nunc est. Non est, quod quaeras ultra, ubi erat; praeter Ipsum nihil erat: ergo in seipso erat ⁵ ».

¹ *De Fide orthod., lib. I, c. 8.*

² « Illud, monet s. Bonaventura, cogitandum est, quod Divinum Esse sicut non potest cogitari habere terminum in duratione, sic non potest cogitari, nec debet habere terminum in existentia, et praesentialitate. Et sicut non potest cogitari habere intercisionem in duratione, sic nec in praesentialitate; » *Ibid., a. 1, q. 3 ad arg.*

³ *Ibid., a. 1, q. 2 resol.* Item, quemadmodum subdit ipse sanctus Doctor, « cum res movetur, Deum non dimittit, nec ad Deum accedit, nec Deus cum re venit; quia sic est in re, ut sit extra rem idem; ideo nec res eum dimittit, nec novum invenit. Et hoc est intelligibile, si quis potest intelligere, quod Deus sit immensus, simplex, et infinitus. Quia enim est immensus, ita est intra, quod extra; quia simplex, secundum unum, et idem est intra, et extra; quia infinitus, ideo nec dimittitur, nec acquiritur aliud in re, nec ab Ipso itur ad Ipsum cum dimittitur, ut alibi, et alibi invenitur; » *Ibid. ad arg.*

⁴ *In Ps. CXXII.* — ⁵ *De Consid., lib. V, c. 6.*

ART. IV. De scientia Dei

115. Tria Circa Divinam Scientiam enucleanda suscipimus, nempe illius existentiam, obiectum, et proprietates; in quorum tractatione illud s. Augustini memorare praestat: « Ne forte hoc a me, fratres, expectetis, ut explicem vobis quomodo cognoscat Deus. Hoc solum dico: non sic cognoscit ut homo, non sic cognoscit ut angelus; et quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam et scire non possum ⁴ ».

116. Prop. 1^a. *Admittenda est in Deo intelligentia.*

Probat. « Immaterialitas alicuius rei est ratio, quod sit cognoscitiva ², et secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis. Unde in 2^o de Anim. dicitur, quod plantae non cognoscunt propter suam materialitatem. Sensus autem cognoscitivus est, quia receptivus est specierum sine materia, et intellectus adhuc magis cognoscitivus, quia magis separatus est a materia, et immixtus, ut dicitur in 3^o de Anima. Unde, cum Deus sit in summo immaterialitatis, ut ex superioribus patet, sequitur, quod ipse sit in summo cognitionis ³ ». Id ipsum confirmatur 1^o ex eo, quod Deus est *naturae institutor*, atque ideo finem rebus naturalibus praestituit, quae illum sibi praestituere non possunt; *non autem posset naturae finem praestituere, nisi intelligeret* ⁴: 2^o Ex eo, quod pulcherrimus mundi ordo summam in Deo intelligentiam manifestat ⁵: 3^o Ex eo, quod « Deo nulla perfectio deest, quae in aliquo genere entium inveniatur...; inter perfectiones autem rerum potissima est, quod aliquid sit intellectivum ⁶ ».

117. Prop. 2^a. *Deus intelligit, imo comprehendit se ipsum.*

Probat. prima pars. Divina essentia est maxime in se intelligibilis, atque, uti maxime intelligibilis, est intime praesens Divino intellectui, imo est Divinus Intellectus. Ergo ⁷.

118. *Probat.* altera pars. Rem aliquam comprehendere nihil est aliud, quam illam *ita perfecte cognoscere, sicut cognoscibilis est*. Atqui Deus tam perfecte cognoscit se ipsum, quam in se

¹ Enarr. in Ps. XLIX, n. 18.

² Cf. Anthrop., c. VII, art. 2, passim.

³ I, q. XIV, a. 1 c. — ⁴ Contr. Gent., lib. I, c. 44.

⁵ Cf. p. 302. — ⁶ Contr. Gent., loc. cit., n. 5. — ⁷ Ibid., c. 47.

cognoscibilis est; quia « tanta est virtus Dei in cognoscendo, quanta est actualitas Eius in existendo ⁴ ». Ergo.

119. Prop. 3^a. *Deus omnia alia cognoscit, tum quae actu sunt, tum quae actu non sunt, sed erunt, vel fuerunt, vel nec sunt, nec erunt, nec fuerunt.*

Probat. Deus, cum perfecte seipsum cognoscat, virtutem suam perfecte cognoscit; ac proinde cognoscit ea omnia, ad quae sua virtus se extendit, nam *virtus alicuius rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quae virtus se extendit* ². Atqui Virtus Divina ad omnia, quae sunt, vel esse possunt, se extendit. Ergo Deus omnia cognoscit, tum quae in aliqua differentia temporis existentiam habent, vel habuerunt, aut habitura sunt, tum quae sunt mere possibilea ³.

120. Circa ea, quae actu non sunt, advertendum etiam est ipsa, etsi *simpliciter* non sint, tamen, aliquo modo esse; nam « ea, quae non sunt actu, sunt in potentia, vel ipsius Dei, vel creaturae: sive in potentia activa, sive in passiva: sive in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quocumque modo significandi ⁴ ». Atqui quidquid aliquo modo est, a Deo cognoscitur, quia, « cum Deus sit ipsum esse, in tantum unumquodque est, in quantum participat de Dei similitudine ⁵ ». Ergo « et ea, quae sunt in potentia, etiamsi non sunt in actu, cognoscuntur a Deo ⁶ ». Itaque « quaecumque possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, et etiam quaecumque Ipse facere potest, omnia cognoscit Deus, etiamsi actu non sint ⁷ ».

⁴ I, q. XIV, a. 3 c. — ² Ibid., a. 5 c. — ³ I, loc. cit.

⁴ Ibid. a. 9 c. — ⁵ Ibid. ad 2. — ⁶ Ibid.

⁷ Ibid. c. Quoad animi cogitationes, ait etiam: « Sicut Deus cognoscendo suum esse..., cognoscit esse cuiuslibet rei; ita cognoscendo suum intelligere, et velle, cognoscit omnem cogitationem, et voluntatem »; Contr. Gent., lib. I, c. 68. Imvero, licet scientia Dei, ut mox dicemus, sit in se simplicissima, et maxime una, nihilominus secundum diversam habitudinem, quam concipimus habere ad sua obiecta, dividi solet in eam, quae dicitur *simplicis intelligentiae*, et eam, quae scientia *visionis* appellatur. Scientia *visionis* dicitur ea, qua Deus cognoscit res, quae in aliqua differentia temporis existentiam habent, vel habuerunt, aut habiturae sunt. Scientia vero *simplicis intelligentiae* est, qua cognoscit res mere possibilea, quae nec fuerunt, nec futurae sunt. « Quaedam, licet non sint in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt: et omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis... Quaedam vero sunt, quae sunt in potentia Dei, vel creaturae, quae

121. Ex his consequitur 1° Deum cognoscere infinita. Etenim «Deus suam virtutem perfecte cognoscit. Virtus autem non potest cognosci perfecte, nisi cognoscantur omnia, quae potest; cum secundum ea quantitas virtutis attendatur. Sua autem virtus, cum sit infinita, ad infinita se extendit. Est igitur Deus infinitorum cognitor 4». 2° Cognoscere etiam futura contingentia, et libera; cum enim «Deus sciat omnia, non solum quae actu sunt, sed etiam quae sunt in potentia sua, vel creaturae; horum autem quaedam sunt contingentia nobis futura: sequitur, quod Deus contingentia futura cognoscat 2». 3° Cognoscere etiam futura conditionata, nempe quae numquam fient, sed quae fierent, si a causis liberis impleteretur conditio, quam non implebunt. Etenim huiusmodi futura non minus vera sunt, quam quae absolute futura sunt; imo futurum contingens est secundum rationem prius verum conditionate, quam absolute 3. Ex. gr., si verum est quod Petrus, positus in talibus circumstantiis, peccet, certe, antequam in his positus esset, verum erat, quod, si in iis poneretur, peccaret 4.

tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt. Et respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiae»; I, q. cit., a. 9 c.

¹ *Contr. Gent.*, lib. I, c. 69. — ² I, q. cit., a. 13 c.

³ Cf. s. Aug., *Lib. De corrept., et gratia*, c. 8, n. 19, ubi ex verbis *Sap. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*, colligit praedestinos singularem Dei beneficio ex hac vita morte immatura subtrahi, quos, si diutius viverent, in peccatum lapsuros, et exinde gratia, et salute privandos fore Deus praescivit. Unde sequitur Deo notum fuisse id, quod revera non contigit, contigisset autem certissime, si vita illorum longius producta fuisset. Hoc ipsum homines testantur, cum Deum precantur, ne illa noxia permittat, quae ipsos patraturos esse praevidet.

⁴ Nonnulli ex Theologis, et Philosophis post Ludovicum Molinam, praeter scientiam simplicis intelligentiae, et scientiam visionis, aliam admittunt, quam *mediam* vocitant, eam scilicet, per quam Deus futura libera cognoscit, quae ab aliqua conditione pendent. Scientia, inquit, ex obiecto discriminatur; futura autem libera, quae alicui conditioni illigantur, neque sunt obiectum scientiae simplicis intelligentiae, quae circa mere possible, et nunquam exitura versatur; neque scientiae visionis, quae res citra ullam conditionem exituras attingit. Unde concludunt futura illa conditionata pertinere ad scientiam aliquam, quae mediam veluti sedem occupet inter scientiam simplicis intelligentiae, et scientiam visionis. Alii vero in hanc scientiam, tamquam inutilem, invehuntur. Nam conditio, ex qua futura conditionalia pendent, vel ponenda est, vel non. Si primum,

122. Porro cognitionem contingentium cum Divinae Scientiae certitudine, et infallibilitate subsistere posse ex eo probatur, quod Deo futura omnia sunt ab aeterno praesentia. «Quis hominum, perbelle ait s. Augustinus, potest istam capere sapientiam, qua novit Deus omnia, ita ut nec ea, quae dicuntur praeterita, ibi praetereant, nec ea, quae dicuntur futura, quasi desint, expectentur, ut veniant; sed et praeterita, et futura cum praesentibus sint cuncta praesentia? 4» Hinc Deus futura, et contingentia aequo certo, ac illa, quae actu existunt, cognoscit 2.

123. Rursus certitudo, et infallibilitas Scientiae Divinae futurorum contingentiae minime obstat. Contingens enim, ut cum

ipsa vere sunt futura, et ideo pertinent ad scientiam *visionis*. Si alterum, tunc numquam existent, et mere possible sunt, proindeque ad scientiam *simplicis intelligentiae* referuntur. Ergo, concludunt, prorsus inutilis est scientia, quae dicitur *media*.

⁴ *De Trin.*, lib. XV, c. 7, n. 13. Hinc s. Anselmus: «Praesentia Dei non proprie dicitur praesentia; cui enim omnia sunt semper praesentia, non habet futurorum praesentiam, sed praesentium scientiam»; *Dialogus de casu diaboli*, c. 21.

² Ad huius rei penitorem intelligentiam praestet Aquinatem audiri: «Contingens aliquod dupliciter potest considerari. Uno modo in seipso, secundum quod iam in actu est; et sic non consideratur, ut futurum, sed ut praesens, neque ut ad utrumlibet contingens, sed ut determinatum ad unum; et propter hoc sic infallibiliter subdi potest certae cognitioni, utpote sensui visus, sicut cum video Sortem sedere. Alio modo potest considerari contingens, ut est in sua causa. Et sic consideratur, ut futurum, et ut contingens nondum determinatum ad unum, quia causa contingens se habet ad opposita; et sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eo, nisi coniecturalem cognitionem. Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in seipso. Et licet contingentia fiant in actu successive, non tamen Deus successive cognoscit contingentia, prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul: quia sua cognitio mensuratur aeternitate, sicut etiam suum esse. Aeternitas autem tota simul existens ambit totum tempus. Unde omnia, quae sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno praesentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se praesentes, ut quidam dicunt, sed quia Eius intuitus fertur ab aeterno supra omnia, prout sunt in sua praesentialitate. Unde manifestum est, quod contingentia et infallibiliter a Deo cognoscuntur, in quantum subduntur Divino conspectui secundum suam praesentialitatem: et tamen sunt futura contingentia suis causis proximis comparata»; I, q. XIV, a. 13 c.

Aquinate loquamur, cum a Deo, prout actu est in sua praesentialitate, cognoscatur, sic necessarium erit esse, sicut necessarium est. Sortem sedere ex hoc, quod Sortes sedere videtur. Iam haec necessitas contingentiam rerum haud tollit, siquidem non est necessitas absoluta, sed consequens, qua nempe omne quod est, dum est, necesse est esse. Quare, sicut haec enunciatio, Quod videtur sedere, necesse est sedere, accipienda est in sensu composito, non autem in sensu diviso, ita haec enunciatio, Quod Deus scit faciendum, illud necessario fiet ¹.

124. Exinde etiam illa, quae in medium affertur, difficultas extricatur, nempe quomodo fieri potest, ut creaturarum actiones, dum a Deo iam futurae praevidentur, sint liberae ². Sane futura a Deo praevisa, ut iam diximus, et certo, et infallibiliter, non tamen necessario fiunt. « Sicut tu, ut s. Augustini verba adhibeamus, memoria tua non cogis facta esse, quae praeterierunt; sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt ³ ». Quin immo tantum abest, ut praescientia Dei imponat causis liberis necessitatem, ut potius ab ipsa Dei praescientia conservetur libertas. Etenim, ut idem sanctus Doctor argumentatur, futura eodem modo re ipsa futura sunt, quo a Deo per praescientiam futura cognoscuntur. Atqui praescivit Deus quaedam libere eventura; neque enim praescientia Dei naturam nostrae voluntatis destruit, quae « voluntas non esset, nisi esset in nostra potestate ». Ergo illa libere evenient. « Non igitur per Dei praescientiam mihi potestas adimitur, quae propterea mihi certior aderit, quia Ille, cuius praescientia non fallitur, ad futurum mihi esse praescivit ⁴ ».

¹ Ibid. ad 2, et *Contr. Gent.*, lib. I, c. 67.

² Haec difficultas paganis philosophis tanta visa fuit, ut nonnulli propterea hominem liberum esse negarent, atque e contrario alii cum Cicero potius Dei praescientiam in dubio ponerent, ita ut, aiente s. Augustino (*De Civ. Dei*, lib. V, c. 9), dum homines voluerint facere liberos, fecerint sacrilegos. Damiron, hodiernae scholae eclecticae patronus, illorum litem hoc modo componit: Procul dubio et Deus praevidet futura, et homo liber est; Deus enim non praenoscit, nisi ea, quae necessario futura sunt. Mira sane, et prorsus eclectica conciliatio!

³ *De lib. arb.*, lib. III, c. 4, n. 11.

⁴ Ibid. c. 3, n. 8. « Non propterea, alibi ait, nihil est in nostra voluntate, quia Deus praescivit quidquid futurum esset in nostra voluntate. Non enim qui hoc praescivit, nihil praescivit. Porro si Ille, qui praescivit quid

125. Prop. 4.^a Nullus ex iis defectibus, qui in scientia humana reperiuntur, imo perfectiones illis oppositae in scientia Divina insunt.

Probat. Quatuor praesertim defectus in scientia humana reperiuntur: 1^o quod est accidentalis; 2^o quod ab obiecto suo pendet, et a rebus ipsis hauritur; 3^o quod demonstrationibus conficitur; 4^o quod est multiplex, et pro varietate obiectorum cognitorum variatur. Atqui scientia Dei est substantialis; non hauritur a rebus, quas cognoscit, sed ipse Deus omnia in sese, et in natura sua cognoscit; est intuitiva, non discursiva; est unica, ac simplicissima, ac in se omnino immutabilis. Ergo.

126. *Probat.* minor quoad singulas partes: 1^o Nulla in Deo compositio esse potest, nihilque in Eo est, nisi simplicissima, et perfectissima substantia. Ergo scientia Dei non est aliud, quam ipsa Dei substantia.

2^o Deus, ut diximus, perfecte comprehendit suam Essentiam, quae prima omnium rerum causa est. Atqui ad perfectam comprehensionem alicuius causae requiritur, ut in ea sic cognita omnes eius effectus cognoscantur. Ergo Deus non haurit scientiam a rebus, sed omnia in ipsa sua Natura cognoscit ¹.

futurum esset in nostra voluntate, non utique nihil, sed aliquid praescivit, profecto, et illo praesciente, est aliquid in nostra voluntate »; *De Civ. Dei*, loc. cit. Exinde concludit: « Quocirca nullo modo cogimur aut, retenta praescientia Dei, tollere voluntatis arbitrium, aut, retento voluntatis arbitrio, Deum (quod nefas est) negare praescium futurorum; sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter, et veraciter confitemur »; *Ibid.*, c. 10.

¹ « Licet, s. Ambrosius inquit, omnia coelestia et terrestria ac minima quaeque perspicat Deus, nihil tamen extra se intelligere, sed singula in se intueri dicitur »; *Tract. in Symb.*, c. I. Exinde illud etiam consequitur, quod Deus res cognoscit non solum quantum ad id, quod commune est omnibus, sed etiam quantum ad ea, secundum quae res distinguuntur. Etenim, « cum Deus in se omnes perfectiones contineat, comparatur Dei Essentia ad omnes rerum essentias, non sicut commune ad propria, ut unitas ad numeros, vel centrum ad lineas; sed sicut perfectus actus ad imperfectos; ut si dicerem, homo ad animal, vel senarius, qui est numerus perfectus, ad imperfectos sub ipso contentos. Manifestum est autem, quod per actum perfectum cognosci possunt actus imperfecti, non solum in communi, sed etiam propria cognitione. Sicut qui cognoscit hominem, cognoscit animal propria cognitione; et qui cognoscit senarium, cognoscit trinarium propria cognitione. Sic igitur, cum Essentia Dei habeat in se quicquid perfectionis habet essentia cuiuscumque rei alterius, et adhuc

3° In cognitione discursiva, quae, ut diximus¹, quidam motus est, intellectus ex potenciali ad actualem conclusionis cognitionem progreditur, atque hanc non eodem actu, ac praemissas, sed novo actu, qui illi succedit, cognoscit². Atqui neque aliquid in potentia, neque actuum pluralitas in Deo admitti potest. Ergo scientia Dei non est discursiva. Praestat verba D. Thomae proferre: « Scientia, quae in nobis invenitur, habet aliquid perfectionis, et aliquid imperfectionis. Ad perfectionem eius pertinet certitudo ipsius, quia quod scitur, certitudinaliter cognoscitur; sed ad imperfectionem pertinet discursus intellectus a principiis in conclusiones, quarum est scientia; hic enim discursus non contingit, nisi secundum quod intellectus cognoscens principia, cognoscit in potentia tantum conclusiones; si enim actu cognosceret, non esset ibi discursus, cum motus non sit, nisi exitus de potentia ad actum. Dicitur ergo in Deo scientia ratione certitudinis de rebus cognitis, non autem ratione discursus³ ».

4° Cum Scientia Dei sit Eius substantia, et haec sit unica, et simplicissima, ac in se omnino immutabilis, sequitur ut et de Scientia Eius idem omnino dicendum sit. Quapropter Deus unico, et simplicissimo intuitu omnia ab aeterno, et eodem semper, ac invariabili modo cognoscit⁴.

amplius; Deus in seipso potest omnia propria cognitione cognoscere. Propria enim natura uniuscuiusque consistit, secundum quod per aliquem modum Divinam perfectionem participat. Non autem Deus perfecte seipsum cognosceret, nisi cognosceret, quomodo cumque participabilis est ab aliis sua perfectio»; I, q. XIV, a. 6 c. Cf. ibid. ad 1.

¹ *Logic.*, p. I, c. III, art. 1, p. 35, vol. I.

² Cf. *Criteriaol.*, c. IV, art. 3, p. 246, vol. I.

³ *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. II, a. 1 ad 4. Id ipsum iam s. Augustinus adnotaverat. « Cum demperero, inquit, de humana scientia mutabilitatem, et transitus quosdam a cogitatione in cogitationem... Cum haec cuncta detraxero, et reliquero solam vivacitatem certae, atque inconcussae veritatis, una, atque aeterna contemplatione cuncta lustrantis; imo non reliquero, non enim habet hoc humana scientia, sed pro viribus cogitavero; insinuatur mihi utcumque scientia Dei »; *De Diversis Quaestionibus ad Simplicianum*, lib. II, q. 2, n. 3.

⁴ Audiatur s. Petrus Damianus: « Nec novum aliquid ab Eo per temporis momenta recedit. Sed nec diversis obtutibus diversa considerat, ut cum intendit praeteritis, vacet a praesentibus, vel futuris; vel rursus cum praesentia, sive futura considerat, oculos a praeteritis avertat; sed uno dumtaxat, ac simplici praesentissimae Maiestatis intuitu simul omnia

127. Qua in re notatu dignum est hanc simplicitatem, et immutabilitatem Scientiae Divinae haud impedire, quominus *plures ideas* in Mente Divina esse dicatur. Sane, ex eo quod Deus, ut paulo ante adnotavimus, res secundum proprias rationes earum cognoscit¹, « sequitur, quod in Mente Divina sint plures ideae²»; id autem *Divinae simplicitati non repugnat*, nam non est contra simplicitatem Divini Intellectus, quod multa intelligat; sed contra simplicitatem Eius esset, si « per plures species Eius intellectus formaretur³ ».

comprehendit, neque hoc confuse, atque inexplicite, sed omnia discernit, ac iuxta proprietatem suam quaeque distinguit»; *Opusc.* XXXVI, c. 7.

¹ P. 339, not. 1. S. Thomas (I, q. XV, a. 2) pro hac sententia utitur auctoritate s. Augustini docentis singulas res creatas *propriis rationibus* conditas, easque rationes in mente Creatoris existere (*Qq. LXXXIII*, q. 46). Cuius sententiae fuere etiam Clemens Alex., Cyrillus Hieros., Cyrillus Alex., Origenes, Ioan. Damascenus, Anselmus, aliique. Cf. Petavium, *De theologic. Dogmatibus, De Deo*, lib. IV, c. II.

² I, loc. cit.

³ *Ibid.* Quare haec idearum pluralitas non quidem ad formam intellectualem, quae mentem ad cognitionem determinat, quasi haec forma una non sit, sed ad res intellectas refertur. Id clarioribus verbis sanctus Doctor monuit hoc in loco: « Cum hoc nomen *idea* nominet Essentiam Divinam secundum quod est exemplar imitatum a creatura, Divina Essentia erit propria idea istius rei secundum determinatum imitationis modum. Et quia alio modo imitantur eam diversae creaturae, ideo dicitur, quod est alia idea, vel ratio, qua creatur homo, et equus; et exinde sequitur quod secundum respectum ad plures res, quae Divinam Essentiam diversimode imitantur, sit pluralitas in ideis, quamvis Essentia imitata sit una. Verbi gratia, sicut ex praedictis patet, quidquid perfectionis in rebus est, hoc totum Deo secundum unum, et idem indivisibile convenit, scilicet esse, vivere, et intelligere, et omnia huiusmodi. Cum autem omnes creaturae imitantur ipsam Essentiam quantum ad esse, non tamen omnes quantum ad vivere; nec iterum illa, quae imitantur Ipsam quantum ad esse, eodem modo esse participant, cum quaedam aliis nobilius esse possideant; et ex hoc efficitur alius respectus Essentiae Divinae ad ea, quae habent tantum esse, et ad ea, quae habent esse, et vivere, et similiter ad ea, quae diversitatem esse habent; et ex hoc sunt plures rationes ideales, secundum quod Deus intelligit Essentiam suam ut imitabilem per hunc, vel illum modum. Ipsae enim rationes imitationis intellectae, seu modi, sunt ideae; idea enim, ut ex dictis patet, nominat formam ut intellectam, et non prout est in natura intelligentis »; *In lib. I Sent.*, *Dist. XXXVI*, q. II, a. 2 *sol.* Praestat haec alia sancti Doctoris verba audire: « Deus, per intellectum omnia operans, omnia ad similitudinem suae essentiae producit. Unde essentia sua est idea rerum, non quidem